



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

7. Jvra Dedit Signis Perniciosa Svis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

6. QVO STETERANT AQVILÆ. Præcipuum Romanæ militiæ signum, quod in omni legione in primâ semper cohorte præferri, & in castris ante prætorium in terram defigi solebat, nec prius hibernis moveri, quàm universus exercitus egrederetur, aut captatis auspicijs legiones in prælium prodirent; hinc Virgil. Æneid. II.

— Vbi vellere signa

Annuerint superi.

7. JVRA DEDIT SIGNIS PERNICIOSA SVIS. Quia cladis, quâ signa amissa, occasionem dedere. Flor. lib. 4. c. 12. *Itaque improvidum & nihil tale metuentem improviso adorti, quum ille (O securitas!) ad tribunal citaret, undiq; invadit, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Vellejus lib. 2. Quo proposito (Varus) mediam ingressus Germaniam velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat æstiva. At illi simulantes fictas litium series, & nunc provocantes alter alterum injuriâ, nunc agentes gratias, quod eas Romana justitia finiret, feritâsque sua novitate incognitæ disciplina mitesceret, & solita armis discerni jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium, usque eò, ut se prætorem Urbanum in foro jus dicere, non in medijs Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Ita cum aliâs provinciæ vi partæ jure retineantur: Varus jus dicendo, & negligendo arma, signis & rebus Romanis perniciem in Germania fecit.*

8. HVC PROPERA. Quo manifestissima Velleji, Taciti, & Dionis testimonia, locus ad præsidium, hiberna, bellum contra Sicambros, Cheruscas, Marfos, Bructeros & reliquas finitimas gentes sustinendum & gerendum, ad iter, comheatum, & expeditiones Visurgim versus, ad aquationem, annonam exercitûs, equorum pabulum opportunus